



Disputatio juridica inauguralis de discrimine inter communione[m] conjugalem lucri damnique et communione[m] fructuum atque reddituum

<https://hdl.handle.net/1874/319682>

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE DISCRIMINE INTER COMMUNIONEM CONJUGALEM LUCRI DAMNIQUE

ET COMMUNIONEM FRUCTUUM ATQUE REDITUM.

AB ADOLETO

FRANCISCO

COMITUM HOLLANDIAE ORIENTALIS

DISPUTATIO INAUGURALIS

JURIS CIVILIS NEERLANDICI

DE DISCRIMINE INTER COMMUNIONEM CONJUGALEM LUCRI DAMNIQUE,

ET COMMUNIONEM FRUCTUUM ATQUE REDITUM.

FRANCISCUS HENRICUS BRUNER.

AMSTELÆDAMI

APUD

WILHELMUM

BRUNERUM

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS AND ARCHITECTURE

RESEARCH REPORTS

Volume 1, Number 1

1962

EDITED BY

JOHN GARDNER

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

54 EAST LAKE STREET, CHICAGO, ILLINOIS 60601

U.S. POSTAGE OFFICE PERMIT NO. 1000

CHICAGO, ILLINOIS 60601

ISSN 0014-1801

POSTMASTER: SEND ADDRESS CHANGES TO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS, 54 EAST LAKE STREET, CHICAGO, ILLINOIS 60601

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

DISCRIMINE INTER COMMUNIONEM CONJUGALEM LUCRI DAMNIQUE

ET

COMMUNIONEM FRUCTUUM ATQUE REDITUUM.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII GUILIELMI OPZOOMER,

JUR. UTR. DOCT. PHIL. THEOR. ET LITT. HUM. DOCT. ET PROFESS. EXTRAORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ATQUE HODIERNO HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

GERHARDUS HENRICUS REUVER,

AMSTELAEDAMENSIS,

AD DIEM X MENSIS JUNII MDCCCLI, HORÀ I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELAEDAMI,

APUD J. H. BRINKMAN.

MDCCCLI.

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA IPSENDAUR & VAN SELDAM.

AMSTERDAMI

PRÆFATIO.

PARENTIBUS

OPTIMIS, CARISSIMIS,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

EA, QUÆ PAR EST, PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

PARENTIBUS

» *Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem*
» *Conor.*” —



HORATIUS.

MADE IN GREAT BRITAIN

BY GAY AND SON, PRINTERS

LONDON

1840

PRAEFATIO.

Toto legitimo opere perfecto, illud superest, ut antequam summos in Jure Romano et hodierno honores petam, specimen Studiorum meorum in lucem publicam proferam. Lubenter hanc arripio occasionem gratum meum animum palam profitendi praeceptoribus, quorum scholis interesse mihi licuit.

Itaque ad te in primis me converto, Vir Clarissime J. VAN HALL, quem promotorem mihi existurum esse gaudeo. Ne mori aut consuetudini, quaeso, hoc tribuas, quod in ipso Disputationis meae limine tibi pro tua erga me humanitate gratias persolvam. Eadem me semper excepisti comitate et benivolentia, quoties, cum prioribus temporibus, tum praesertim proximis hisce diebus, te adirem, et consilium auxiliumque tuum expeterem. Pro tot tantisque beneficiis sinas gratias me reddere, quae intimo ex pectore profluunt.

Et tu, Vir Clarissime M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, cui jam in tenera aetate amicitia junctus fui, non lectiones tantum tuas ut frequentarem, indeque doctrinae copiam perciperem, mihi concessisti, sed dignum etiam me judicasti, cui in toto studiorum curriculo auctor adjutorque adesses. Consiliis tuis me sustentando, viam mihi monstrando, animumque

mihî erigendo , amici simul et praeceptoris officiis functus es. Dulcissimum itaque mihî est , gratum meum animum erga te profiteri. D. O. M. diu te servet in studiosorum utilitatem , et Athenaei Amstelaedamensis decus.

Te quoque silentio praetermittere nequeo , Vir Clarissime C. A. DEN TEX , qui variis nominibus me tibi devincire non dedignatus es. Nulla dies tuorum in me beneficiorum memoriam delebit.

Neque mirum tibi videatur , Vir honestissime J. G. MUMPEROW , qui Procuratoris judicialis coram Curia Hollandiae Septentrionalis munere fungeris , me hoc eodem loco declarare , quantopere animum meum tibi obstrictum sentiam. Sub tuis auspiciis mihî licuit Praxi juridicae per aliquot annos operari , nec umquam destisti me tuis consiliis adjuvare. Pro hisce omnibus gratissimo animo semper tui recordabor , et utilitatis quam tuis ex praeceptis monitisque percepi.

Denique vos , amici , quibuscum studiorum spatia peregi , vivite felices , et mei , sicuti ego vestri , memores manete.

§ 1. *Prooemium.*

Recte traditum est a Jurisconsultis, singulas contractuum et conventionum species sua habere, quibus constant, et *essentialia*, et *naturalia*, et *accidentalìa* elementa. Veluti, ad matrimonii *naturalia* jure nostro refertur *bonorum omnium inter conjuges communio*. Simul atque matrimonium contrahitur, quamvis nihil ea de re cautum pactumve fuerit, ipso jure universa bona inter conjuges communicantur. Libera tamen sponso sponsaeque facultas permittitur, pactis

conventis, ante matrimonium initis, bonorum communionem circumscribendi vel etiam prorsus tollendi. Unde fit ut, contrahentium libertate nullis fere ea in re limitibus cohibita, multiplices et paene infinitae communionis restrictae species oriri queant. Has omnes singulatim in lege enumerare, res fuisset immensi operis et prorsus supervacua. Duas tantum communionis conjugalis circumscriptae species et quasi figuras legislator noster cum nominatim memoravit, tum quaedam de iis condidit placita et praecepta. Communionem dico *lucris damnique*, et *redituum atque fructuum*. Intellexerunt Codicis Civilis conditores, has prae caeteris circumscriptae communionis formas, in patria nostra et antiquitus vulgari usu frequentatas fuisse, et postea frequentatum iri. Nam licet, in universum rem si spectes, omnino fatendum sit, illimitatam omnium bonorum communionem cum natura matrimonii unice congruere: tamen saepenumero certae incidere solent causae, quibus fiat, ut solius lucris damnique, vel etiam fructuum redituumque communio universali illi communioni multum praefe-

renda esse merito videatur. Has causas paragrapho sequenti exponam: quo facto simul, ni fallor, paratiores erimus ad recte perspicendum discrimen, quo conjugalis *lucris damnique* communio, a communione *fructuum et reddituum* distinguitur.

§ 2. *De principio discriminis inter communio-
nem conjugalem lucri damnique, et commu-
nionem fructuum atque reddituum.*

Matrimonium, ipsa sua natura, omnis humani
divinique juris inter conjuges est communicatio.
Si fieri possit, hoc agendum est, ut in domo con-
jugali » nihil conspiciatur dividuum, nihil quod aut
» maritus aut femina proprium esse jurisque sui dicat,
» sed in commune conspiretur ab utroque ⁴⁾». Itaque

⁴⁾ Verba haec, quae citavi, sunt COLUMELLAE in Praefat. ad
Librum XII de Re Rustica, § 8, merito laudata a SAVINIO, in
libro: *System des heutigen Römischen Rechts*, I. p. 351.

in universum sic statuendum est, bonorum omnium communionem cum matrimonii proposito optime congruere. At nonnumquam certae existere solent causae, propter quas universalis omnium bonorum communio circumscribenda, et ad solius lucri damnique, vel fructuum redituumque communionem restringenda esse videatur. Quod tunc praecipue contingit, quando alter conjux est locupletior altero, et propter justas causas non vult, omnium bonorum communiōe inita, se quidem pauperiorem, sponsum vero sponsamve ditioem efficere. Ad justas illas causas referendae sunt hae:

1°. quando conjux locupletior habet liberos legitimos e priori matrimonio susceptos, quos spe hereditatis paternae maternaeve pro parte privari nolit;

2°. quando conjux locupletior tempore matrimonii contracti jam grandior est natu, et non vult partem hereditatis suae auferre heredibus futuris, ex gr. cognatis;

3°. quando unus ex conjugibus bona quae ipse

hereditate a patre vel proavis quasi per manus accepit, liberis suis vel cognatis relinquere cupit, et non vult ea transferri ex una familia in alteram familiam: quod praecipue locum habet in immobilibus ²⁾;

4°. quando conjux unus ante tempus matrimonii initi aes alienum grande contraxit, et conjux alter non vult, bonis omnibus communicatis, non tam conjugem suum, quam ejus creditores lucro afficere;

5°. quando maritus est paterfamilias negligens, prodigus et bonorum decoctor, sive quaestum facere solitus ex negotiatione aleae periculique plena, et uxor non vult unâ cum bonis mariti etiam patrimonium suum periclitari.

Hae igitur atque aliae causae movere solent conjuges jamjam maritandos, ut omnium bonorum com-

²⁾ Haec causa prioribus seculis multum valuit; nostro vero tempore vix quidquam valet.

munione exclusa, lucri tantum damnique vel fructuum redituumque communionem contrahant. Jam quibus casibus *lucri atque damni*, quibus contra *fructuum et redituum* communio potius praeoptanda sit futuris conjugibus, accuratius dispiciamus.

§ 3. *Ejusdem argumenti continuatio.*

Lucri atque damni communio hoc habet propositum, ut in unum conjunctis viri opera et industria, mulierisque labore ac parcimonia, collatisque ab utroque conjuge patrimoniorum suorum viribus, lucrum quaestumque quantum fieri possit maximum societas conjugalis adipiscatur; quo deinde lucro conjuges constante matrimonio domum familiamque suam sustentent, post matrimonii dissolutionem quod ex eo lucro supererit aequaliter inter se partituri, heredibusve suis relicturi. A majoribus nostris haec communio *collaborationis* nomine vocitabatur: quique eam communionem contraxerant, dicebantur » *te sitten in*

„*saemwinnige* 1).” Societas itaque initur lucri faciendi, et matrimonii onera conjunctis viribus sustinendi gratia; amboque conjuges in eam societatem conferunt laborem et industriam; item uterque conjux (quod bene notandum est) illius societatis negotiis applicat universas patrimonii sui vires 2). Haec tamen ejus societatis est lex, ut soluto matrimonio, lucrum quidem stante matrimonio partum, item damnorum quae stante matrimonio obtigerunt onera, aequaliter inter conjuges eorumve heredes distribuantur: bona vero, quae unusquisque in societatem contulit, eo redeant unde primitus fuerint profecta, ita ut neque uxor ejusve heredes bonorum quae maritus in societatem attulit partem adipiscantur, nec

1) Vid. JOANNES A SANDE, Decisiones Frisicae. Leovardiae, 1635. Lib. II. tit. 5, p. 157; et G. J. DE MARTINI, Vir Consul-tissimus, in annot. ad art. 210 Cod. Civ. lit. k.

2) Immobilia tamen uxoris maritus, societatis administrator, neque alienare neque pignori obligare potest, sine mulieris consensu.

Vid. art. 160, alin. 5, Cod. Civ.; JO. A SANDE, l. cit. p. 148.

maritus in bonis ab uxore profectis partem sibi vindicare possit. Quod ita exponit JOANNES A SANDE, in Decisionibus Frisicis, loco supra laudato, p. 163 — (cujus verba eo lubentius apponam, quod constet legislatorem nostrum placita de lucri et damni communione petiisse ex jure antiquo patrio, imprimis ex jure Frisiaco) — » Soluta matrimonio (inquit), in judicio communi dividundo, antequam deveniatur ad divisionem aquaestuum, prima ratio haberi solet bonorum, quae cujusque conjugis propria et pecuniaria fuerunt, sive ea extent, sive distracta sint. Quilibet conjugum prius et ante omnia, ex communibus bonis, scilicet constante matrimonio comparatis, deducit suum patrimonium vel suum capitale, quod habuit tempore initi matrimonii, vel aestimationem ejus, si res sua fuerit vendita aut consumpta. Et si nulla sint bona communia, tunc id quod unus conjugum intulit, quodque constante matrimonio consumptum est, pro semisse est supplendum ex bonis alterius conjugis ratione damni quod commune est. Nec aquaestus intelligi pos-

„sunt, nisi deducto prius omni aere alieno, deducto-
 „que cujusque capitali. — Deducto omni damno, aere
 „alieno, et cujusque patrimonio seu capitali, quod
 „superest, ut lucrum seu quaestus, inter conjuges so-
 „luto matrimonio vel eorum heredes dividitur.” 3) —

3) Conferatur J. VAN DER LINDEN, *Notaris-ambt*, II. p. 364:

„De gemeenschap die zich tot de aanwinsten bepaalt, heeft veel
 „overeenkomst met de gemeenschap van goederen uit kracht der
 „wet. Ook bij de gemeenschap van aanwinsten deelt de vrouw
 „in de gevolgen der handelingen en der speculatiën van den man.
 „Het eenig onderscheid tusschen beide deze gemeenschappen be-
 „staat daarin, dat in deze van welke wij nu spreken, geen primi-
 „tief fonds in de gemeenschap wordt ingebracht, maar dat alle uit-
 „zigten zich bepalen tot de voordeelen, die de arbeidzaamheid van
 „den man, en de huisselijke bezuiniging van de vrouw staan
 „aan te brengen.”

§ 4. *Continuatio ejusdem argumenti.*

Ex his quae diximus intelligitur, conjuges, communiōne lucri atque damni contracta, siquidem res in societate conjugali gestae prospere evenerint, illud omnino assequi propositum, quo plerumque omnium bonorum communionem circumscribi et ad limites arctiores restringi solere, supra § 2 vidimus. Nam eo casu unusquisque conjugum bona quae ab eo in societatem conjugalem collata sunt, post matrimonii solutionem recipit salva atque integra, nec ullam inde partem marito uxorive eorumve heredibus cedere compellitur. Itaque si, ex. gr., sponsus sponsâ sit locupletior, liberosque ex priori matrimonio susceptos

habeat; quos spe hereditatis suae pro parte privare religioni sibi ducat: rebus suis optime consuluerit, inita lucri atque damni communione. Quod et ipse sensisse videtur legislator, ac propterea communionem lucri atque damni conjugibus binubis quodammodo commendavit placito articuli 240 Cod. Civ., collato art. 236. — Adde, quod non tantum bona in societatem collata, unusquisque conjugum soluto matrimonio integrâ recipiat; sed insuper lucri stante matrimonio quaesiti pars cuique dimidia accrescat.

Verum enimvero lucri atque damni communio, ut est sanequam lucrosa, ita et periculi est plena. Nam si res in societate conjugali gestae evenerint improspere, damnaque ac debita et impensae in familiae sustentationem factae lucrum quaestumque excesserint; tum vero ex utriusque conjugis patrimonio damna illa sarcienda sunt, et quod contractum est aes alienum exsolvendum. Si maritus ex. gr. infelici fortuna mercaturam exercuerit, hoc damnum pro semisse e patrimonio uxoris praestandum erit. In qua re cavendum est, ne nos in errorem inducat

perversa interpretatio art. 218 Cod. Civ. ubi legimus: *Alle schulden, de echtgenooten TE ZAMEN betreffende, en staande huwelijk gemaakt, moeten als verlies tot deze gemeenschap gebragt worden.* — Forsitan quis opinetur, aes alienum mercaturae vel negotiationis causa a marito contractum, ad solum maritum spectare, non ad *utrumque* conjugem: itaque ex mariti tantum bonis solvi oportere. Enimvero haec interpretatio esset falsissima. Nam quia lucrum ex mercatura mariti ortum commune est (art. 212): etiam aes alienum mercaturae causa contractum, spectat res et negotia *utriusque* conjugis; ut egregie animadvertit F. DE GREEVE, Vir Clariss., in: *Regtsgeleerd Bijblad*, 1840. p. 311. in nota. Apud majores quoque nostros idem jus obtinebat. Vid. JO. A SANDE l. l. p. 178, et S. VAN LEEUWEN, *Censurae forensis*, IV. 23. 20; qui recte tradunt, creditores ex ejusmodi causis adversus conjugem, quocum contraxerunt, actionem in solidum, adversus alterum actionem pro semisse habituros. Ac ne pactis quidem antenuptialibus, in ita semel lucri atque damni communiione, aliter de

ea re statui potest. Obstat enim articulus 197 Cod. Civ., haec habens: *De aanstaande echtgenooten mogen bij huwelijksche voorwaarden niet bedingen, dat de een tot een grooter aandeel in de schulden zal gehouden zijn, dan deszelfs aandeel in de baten der gemeenschap beloopt.*

§ 5. *Ejusdem argumenti continuatio.*

Quodsi conjuges periculum patrimonii suis ex communione lucri damnique oriturum reformident, vel aliis de causis lucri in commune quaerendi societatem inter se contrahere nolint: illud restat, ut *redituum fructuumque communionem* pactis antenuptialibus constituent. Hujus communionis haec est vis, ut nec maritus bona uxoris quaestui applicare, nec uxor, separatum forte a mariti negotiis mercimonium exercens, in eam rem viri bona adhibere possit: neque omnino conjuges conjuncta opera lucrum parere studeant, damnave inter se communicent. Hoc solum

fructuum reddituumque communiōe continetur, ut re-
ditus ex utriusque bonis percepti in communem con-
ferantur arcam familiarem, indeque promantur, quae
ad sustentanda onera matrimonii, vitae domesticae
cultum, liberorum educationem, aliaque ejus generis
fuerint impendenda. Quare tres praecipue ob causas
fructuum et reddituum communiōe communiōi lucri
atque damni, nonnumquam merito praeferri potest:
1^o. Quando unus ex futuris conjugibus, ex. gr. ma-
ritus, quaestum facit ex negotiatione aleae periculi-
que plena, et uxor non vult suum etiam patrimo-
nium unâ cum bonis viri periclitari; 2^o. Quando ma-
ritus est homo levis, prodigus, et bonorum decoctor,
uxoriquē cavendum est, ne vir de ipsius bonis libere
possit disponere; 3^o. Quando unus de conjugibus,
vel ambo conjuges, ex illorum hominum sunt numero
qui ab omni mercatura, negotiatione, quaestu facti-
tando abstinentes, de redditibus suis vivunt, quales
apud nos vocantur: *renteniers*.

Denique, ut uno verbo rem absolvam, communiō
lucri damniq̄ue ad *lucrum parandum* spectat: fruc-

tuum et redituum communio ad *bona, quae jam parta sunt, conservanda* ¹⁾).

¹⁾ C. ASSER, *Ned. Burg. Wetb. verg. met h. Wetb. Napoleon*, § 152, p. 106: „Bij de gemeenschap van vruchten en inkomsten „is niet de rede om winst te behalen.” — *Fructuum et redituum* communionem imprimis referri ad sustentanda onera *rei domesticae*, apparet ex iis quae anno 1832 in consessu Ordinum Generalium de hac communione dicta sunt: „De gemeenschap van „goederen, en van winst en verlies, zijnde uitgesloten, brengen „partijen echter al hare vruchten en inkomsten *in de huishou- „ding.*” (VOORDUIN, II. p. 391.) Conferantur art. 68 et 69 Cod. Civ. Ludovici Napoleontis: item art. 200 et 201 Cod. Civ. hodierni. — Praeterea ad hanc paragraphum omnino comparandus est VOETIUS ad tit. D. de pactis dotalibus, num. 52.

§ 6. *Ejusdem argumenti continuatio.*

Paragraphis superioribus id egi, ut explicarem principium discriminis, quod inter communionem lucri damnique, et communionem fructuum atque reddituum intercedit. Jam porro ex principiis illis consequentias deducendo, ipsas differentias inter utramque communionem singulatim persequar. Sunt autem haec differentiae, me quidem iudice, numero *quatuor*.

§ 7. *Prima differentia inter utramque communionem.* —

Communione lucri damnique contracta, inter conjuges oritur negotiandi et lucrum quavis ratione parandi societas; non item in communionem fructuum et reddituum.

In *communionem lucri damnique*, maritus vi ipsius *communionis* videtur habere *mandatum* quavis ratione *lucrum* *communioni* conjugali quaerendi atque parandi: et uxor intelligitur *patrimonium* suum viro commisisse cum *mandato liberae administrationis* ¹⁾. Itaque si maritus *mercaturam* aliamve quam *negotiationem* exerceat, poterit in eam adhibere *universa bona* mulieris: dummodo, quoties illius *negotiationis* causa

¹⁾ J. A. SANDE, l. laud. p. 179.

uxoris immobilia alienanda vel pignori obliganda fuerint, mulier expresse in eam rem consentiat ²⁾). Item in eadem communione uxor, separatam a negotiis mariti mercaturam factitans, illi mercimonio applicare potest universum viri patrimonium, dummodo volente, saltem sciente, viro negotietur ³⁾.

Contra, neutrum fieri potest in communione *fructuum et reddituum*. Nam in hac communione soli fructus et reditus communes sunt: ceterum bona ipsa, unde reditus percipiuntur, penitus a communione et societate conjugali sunt exclusa. Itaque si ex. gr. maritus, fructuum et reddituum communione inita, patrimonium sive *capitale* (ut vulgo ajunt) uxoris in mercaturam, quam ipse exercet, adhibere, et lucro ea ratione parando applicare velit; non poterit, ne consentiente quidem muliere, hoc facere *tamquam maritus*, nec *vi ipsius communionis conjugalis*. Non jam

²⁾ Art. 160, alin. 3 Cod. Civ.

³⁾ Art. 168, alin. 2 Cod. Civ.

quaero, an forte uxor tali casu marito suo pecuniam, mercaturae faciendae causa, mutuum dare, vel etiam societatem cum eo contrahere possit, ab ipsa *conjugali* societate prorsus separatam, et communis juris principiis regendam. Hoc dico: nihil ejusmodi fieri posse *in ipsa communione fructuum et reddituum*. In hac enim communione vir tantum habet jus in *fructus* et *reditus* rei uxoriae: ipsum autem patrimonium sive *capitale* uxoris, *administrare* quidem et *conservare* atque *custodire* debet, postea hujus administrationis rationes redditurus (art. 160 al. 3 et 4, Cod. Civ.); nequaquam vero illud adhibere potest in mercaturam vel negotiationem, quam ipse lucri quaerendi causa exercet.

Quod ita esse, facile ex absurdo, ut ajunt, demonstrari potest. Ponamus viro licere, communione fructuum et reddituum contracta, sciente et consentiente muliere, pecuniae summam ex patrimonio, quod uxor matrimonii initi tempore habuit, adhibere in mercaturam, quam ipse lucri parandi gratia facit. Jam duorum alterum fiat necesse est: uxor pro

ratione pecuniae, quam in viri mercaturam contulit, ratam portionem accipiet lucri ex mercatura illa redigendi: aut *non* accipiet. Si non accipiet, res ad societatem leoninam spectabit. Sin accipiet, etiam damna ex iisdem viri negotiis emergentia pro eadem portione uxorem ferre oportebit. Vid. art. 197. Cod. Civ. Atqui hoc repugnaret naturae communionis *redituum atque fructuum*, in qua nulla umquam ejus generis damna inter conjuges communicantur (Vide infra § 9—11).

§ 8. *Differentia secunda.* — *Multi lucra et augmenta patrimonii in communiione lucri damniqne inter conjuges communicantur, quae in fructuum reddituumque communiione nequaquam communicanda sunt.*

In communiione lucri damniqne universa *lucra* communicantur: in communiione fructuum reddituumque soli *fructus* et *reditus* in communiione sunt. *Lucri* vocabulum latius patet: arctioribus finibus circumscribitur *fructuum reddituumque* significatio. *Lucri* nomine etiam fructus et redivus contineri, expresse monuit legislator art. 212 Cod. Civ.; at non versis vicibus omnia *lucra reddituum et fructuum* appellatione comprehenduntur. Qua de re, age, videamus paulo accuratius.

Lucri voce in hac juris parte, intelliguntur omnia augmenta patrimonii, labore, arte, opera, industria, mercatura, parcimonia aliove simili modo quaesita. Vid. art. 212 Cod. Civ.; VOET, ad tit. D. de pactis dotalibus, n. 32—47; GUIL. SCHORER in annot. ad HUG. GROTIJ Introd. II. 12. 11. p. 185.

Haec igitur augmenta patrimonii, quae *lucri* nomine censentur, partim etiam *fructuum reddituumque* appellatione comprehenduntur, partim non comprehenduntur. Veluti *fructuum reddituumque* communione continentur fructus ex fundis, usurae ex pecunia foenori data, reditus ex industria vel arte, quam quis facit, quotannis percepti, salarium vel honorarium quod accipit is qui publico munere fungitur, aliaque similia. Nam nihil prohibet, quominus *fructuum reddituumque* vocabulis, etiam fructus et reditus *ex labore vel industria* profectos intelligamus ¹⁾. Contra,

¹⁾ Verum quidem est, in Cod. Civ. Ludov. Napol. art. 68, exclusis redditibus *industrialibus*, solos reditus *ex bonis* conjugum perceptos, ad hanc *fructuum reddituumque* communionem relatos

lucrum ejus generis vel modi, quod non solet in re-
ditibus annuis computari, sed ad ipsius patrimonii
sive *capitalis* incrementum referri, *fructuum et redi-
tuum* appellatione non continebitur ²⁾. Ut exemplo
rem illustrem, finge virum ex negotiatione aleatoria
cautionum debiti publici grande lucrum adeptum
esse; aut mulieri ex lotteria publica magnam pe-
cuniae summam sorte obvenisse: haec lucra in com-
munione lucri damnique communia erunt ³⁾, at in

esse. Sed verba, quae ibi leguntur: *der aangebragte en nader-
hand opgekome ne goederen*, in Cod. Civili hodierno, art. 219,
non fuerunt repetita.

²⁾ Si enim ejusmodi lucra in *communione fructuum atque re-
dituum* inter conjuges communicarentur, etiam damna ex iisdem
negotiis, unde lucra illa parantur, emergentia communicanda fo-
rent (art. 197 Cod. Civ.). Atqui damna ejus generis in hac
communione numquam possunt esse communia (Vid. supra § 7.)

³⁾ Lucrum, quod ex lotteria venit, in communione damni lu-
crique inter conjuges communicandum esse, recte docuit W. K. VAN
DER BREGGEN, Vir Consultiss., in Specimine Inaugurali, cui titu-
lus: *Quaestiones Juris*, Traj. ad Rhen. 1840, p. 13. —

fructuum redituumque communione non communicantur.

Fateor equidem, discrimen hocce *reditus* inter et *lucrum*, non ita certum atque perspicuum esse, quin saepe inde oriri possint quaestiones intricatae ac difficiles. Ponamus, virum, communione fructuum et redituum inita, mercaturam exercere. Jam, quota pars lucri ex mercatura illa redigendi, in *reditus* annuos computabitur: quota vero ad ipsius capitalis referetur incrementum? Difficile sane dictu. Quare tali casu, ad evitandas has difficultates, praestat in ipsis tabulis dotalibus praefiniri certam pecuniae summam, quam vir ex annuo lucro in arcam communem conferre debet. Quo pertinet art. 69 Cod. Civ. Ludov. Napoleontis: *Men kan de gemeenschap van de vruchten, baten en inkomsten bij beding inkorten, door te bepalen, hoeveel elk der echtgenooten, uit zijne eigene inkomsten, in de algemeene huishouding zal inbrengen.* Conf. Cod. Civ. hodierni art. 200 et 201.

Satis, ni fallor, demonstravi, multa lucra, multos (ut antiquo JCtorum vocabulo utar) *acquaestus*,

in *fructuum redditumque* communione non communi-
 cari: quae tamen in communione *lucris atque damni*
 omnino sint communia. Quare non satis accurate NI-
 COLAI, Vir Ampliss., cum in consessu Ordinum Ge-
 neralium discrimen inter utramque communionem
 enarraret, his verbis usus est: » Le sort des biens
 » meubles est *absolument le même* dans l'une et l'autre
 » communauté; l'une et l'autre comprennent *tous les*
 » biens meubles, que les époux *acquièrent à titre oné-*
 » *reux*, et au moyen des économies, que le produit
 » des revenus communs leur permet de faire." ⁴⁾

⁴⁾ VOORDUIN, T. II, p. 390.

§ 9. *Differentia tertia.* — *Multa debita in communionem
lucris atque damni inter conjuges communicantur,
quae in fructuum reddituumque communionem
non sunt communia.*

Hactenus exposui duas inter communionem lucris
damni et communionem fructuum reddituumque diffe-
rentias, quae (quod sane mirandum est) ab interpre-
tibus Codicis Civilis nostri prorsus fuerunt neglectae.
Jam deinceps tertiam enarrabo differentiam, quae fere
sola ab iisdem interpretibus diligenter solet tractari.
Sic enim vulgo tradunt, illud praecipuum et fere
unicum inter utramque communionem intercedere
discrimen, quod in communionem fructuum reddituum-
que nulla debita communia sint, contra in lucris

damnique communionem pleraque debita, stante matrimonio contracta, inter conjuges communicentur. Ita in ipso Ordinum Generalium consensu NICOLAI, Vir Amplissimus, discrimen inter utramque communionem his verbis explicavit: »La communauté de gain et de perte et celle des fruits et revenus, ne diffèrent entre elles qu'en ce qui concerne les dettes futures des époux. Dans la première, les époux n'excluent de la communauté que les dettes antérieures au mariage, et dans la seconde, ils font porter cette exclusion tant sur les dettes antérieures, que sur les dettes postérieures au mariage." ¹⁾ — Eadem ferme legas apud plerosque Codicis Civilis interpretes: ex. gr., apud DIEPHUIS, *het Nederlandsch Burgerlijk Regt*, T. I. p. 515.

Videamus ea de re accuratius.

Quod attinet ad *lucris damnique* communionem, quaenam debita inter conjuges, illa communionem con-

¹⁾ VOORDUIS, T. II, p. 390.

tracta, communia habenda sint, legislator expressis verbis monuit, art. 218 C. C.; nosque ea de re jam supra egimus § 4.

In communiōe vero *fructuum reddituumque*, vereor ne illud nimis generaliter dictum sit, quod vulgo tradi solet: *nulla in ea communiōe debita inter conjuges communicari*. Mihi hoc non nisi cum exceptione, et cum temperamento quodam, verum esse videtur. Accurate loqui si velis, ita potius, ni fallor, statuendum est:

1^o. *In communiōe fructuum reddituumque illa tantum debita communia sunt, et ab uno conjugē contracta alterum quoque obligant, quae ad curam rei domesticae, familiae sustentationem, liberorum educationem, vel ad similia pertinent.*

Scilicet in *lucris damni*que communiōe, vir, ut supra § 7 vidimus, intelligitur ab uxore accepisse mandatum quavis ratione lucrum communiōi conjugali parandi atque quaerendi. Itaque si maritus negotiationis, mercaturae, lucrificandi causa pecuniam mutuam acceperit, aes alienum contraxerit, aliove

modo debitis se obstrinxerit: uxor his debitis pro semisse erit obligata. Itemque uxor in eadem *lucri damnique* communionem, sciente viro separatam a mariti negotiis mercimonium exercens, iisdem de causis etiam virum debitis poterit adstringere. — Contra in *fructuum ac reddituum* communionem, ejusmodi mandatum quavis ratione lucrum communioni conjugali quaerendi vir ab uxore nullum accepit: communio tota ad sustentanda onera matrimonii, ad liberos communes educandos, ad vitae domesticae cultum refertur. Itaque si propter ejus generis causas, ad rem domesticam pertinentes, debitum a viro contractum fuerit: sane uxorem quoque obligabit, eritque commune, ex communibus bonis solvendum: itemque uxor iisdem de causis etiam virum debitis gravare poterit ²⁾. Ceterum aliis de causis debita contracta, ex. gr. mercaturae vel cujusvis negotiationis exercendae gratia, in *redituum fructuumque* communionem,

²⁾ Vid. art. 164 Cod. Civ.

eum solum conjugem obligabunt, qui ipse contractum iniit, ad alterum vero conjugem nulla ex parte pertinebunt.

2^o. *In communione fructuum reddituumque, debita ex causis ad rem domesticam pertinentibus contracta, quae secundum ea quae modo diximus, etiam in hac communione inter conjuges communicantur, tamen si ab uno conjugum sine consensu alterius contracta fuerint, alterum hunc conjugem numquam obligabunt ultra id quod est in fructibus redditibusque.*

Nam in hac fructuum reddituumque communione, soli fructus et reditus communes sunt; ceterum prorsus a communione conjugaliue societate excluduntur ipsa conjugum patrimonia sive capitalia. Quare numquam alter conjux in hac communione obligari potest facto alterius conjugis, ultra id quod ipse ex redditibus suis in arcam communem contulit, vel conferre debuit. Quae omnia secus esse in *lucris damnisque* communione, per se satis intelligitur. Quamquam etiam in *fructuum reddituumque* communione non facile eveniet, ut applicandae huic regulae locus sit. Ni-

mirum ea sola debita in hac communione inter conjuges communicari paulo ante vidimus, quae rem domesticam, curam familiae, liberorum educationem spectant. In hujusmodi autem debitis, etiamsi ab uno tantum conjugue contracta fuerint, tamen plerumque ab alterius conjugis parte tacitus consensus vel saltem in rem versio adesse probabitur: quo casu hujus quoque alterius conjugis non tantum fructus redditusque, sed etiam ipsum patrimonium creditoribus obnoxium erit. De tali casu intelligenda sunt, quae leguntur apud s. VAN LEEUWEN, *Roomsch-Hollandsch Recht*, IV. 24. 3. (T. II. p. 175 edit. a. 1780). Conferatur VOETIUS, ad tit. D. de pactis dotalibus, num. 52.

§ 10. *Quarta differentia inter utramque communionem.*

In *lucris atque damni* communione, post matrimonii dissolutionem, damna quae unusquisque conjugum stante matrimonio ex mercatura, negotiatione aliisque similibus causis in bonis suis passus est, ex bonis alterius conjugis pro parte dimidia sarciantur ¹⁾. — Contra in *communione fructuum et reddituum* nulla ejusmodi mutua damnorum resarcitio locum habere potest: quia neque lucra neque damna, quae uni conjugum ex ejusmodi negotiis evenerunt, ad alterum conjugem quidquam pertinent.

¹⁾ Vid. art. 210 Cod. Civ. collatis quae ex JO. A SANDE supra § 3 citavi.

§ 11. *Quisnam in universum communionis reddituum
et fructuum sit effectus.*

Ex supra dictis apparet, in communiōne fructuum et reddituum, redditus quidem uxoris a marito temere et negligenter profundi atque absumi posse: sed nequaquam marito licere patrimonium ipsum sive capitale uxoris diminuere vel creditoribus obstringere: imo hoc patrimonium semper a marito ejusve heredibus uxori, post matrimonii solutionem, integrum salvumque esse restituendum. Hinc intelligendum est, quod apud scriptores nonnullos legitur: *uxorem in communiōne fructuum et reddituum damnari a viro*

pati non posse ¹⁾): quod verum est, modo *damni* vocabulum, non de temeraria fructuum redituumque consumptione, sed de sola patrimonii diminutione intelligas ²⁾).

¹⁾ G. J. DE MARTINI, Vir Consultiss., ad art. 210 Cod. Civ. lit. k.: „De gemeenschap van winst en verlies kan schade toe-
„brengen aan de vrouw, die van vruchten en inkomsten nooit.” —
ASSER, op. laud. § 152, p. 106: „Er kan in deze soort van ge-
„meenschap nooit verlies bestaan.” —

²⁾ Scriptor anonymus libelli, cui titulus: *Behandeling van ver-
schillende vraagstukken uit het Burgerlijk Wetboek*, editi Sneecae,
a. 1846, p. 25: „Het eenige waardoor de vrouw (bij de gemeen-
„schap van vruchten en inkomsten) kan worden benadeeld, is dat
„de man uit de opgelegde vruchten en inkomsten persoonlijke
„schuldeischers kan betalen, doch wanneer zulks uit de opgelegde
„vruchten en inkomsten plaats heeft, is het ten aanzien der vrouw
„meer als winstderving te beschouwen.”

§ 12. *Conclusio.*

Superioribus paragraphis *quatuor* differentias, quibus mea quidem sententia lucri damnique communio a communiione fructuum redituumque separatur, ordine persecutus sum. Forsitan quis mihi objiciat, superesse etiam aliquod, quod nondum memoravi, inter utramque communionem discrimen. Scilicet, vulgo traditur ejusmodi differentiam contineri arti-

culo 214. Cod. Civ. — Ibi haec leguntur: *Onroerende goederen en effecten, staande huwelijk aangekocht, op wiens naam dit ook geschied zij, worden voor winst gehouden, tenzij het tegendeel daarvan blijke.* — Vulgo igitur interpretes monent, *praesumptionem juris*, hoc articulo memoratam, tantum referri ad communionem *lucris atque damni*: at in communiōe *fructuum et reddituum* potius valere praesumptionem contrariam. Ego tamen huic sententiae accedere nequeo, quamvis sciam eam probari a viro magnae auctoritatis, ASSER, op. laud. § 152. Mihi enim, collatis art. 220 et 221 Cod. Civ., item art. 880 Cod. Mercat., vero videtur similis, praesumptionem juris in art. 214 C. C. memoratam, propter paritatem rationis, et ex mente legislatoris, porrigi etiam oportere (saltem aliquatenus, et cum quodam temperamento) ad fructuum reddituumque communionem: ita ut etiam in hac fructuum reddituumque communiōe immobilia sive utriusque sive unius conjugis nomine constante matrimonio acquisita, communia esse praesumantur, nisi probetur contrarium. Sed quoniam tota haec quaestio

non tam *ipsum jus*, quam *juris probandi modum* spectat, et praeterea satis parvi est momenti: potius rem in medio relinquam, et hic finem meo opusculo faciam.

FINIS.

THESES.

I.

Furtum rectius a Paulo definitur in L. 1. § 3 D. de furt. (XLVII. 2) quam a Justiniano in L. 1. Inst. de obl. q. ex. del., qui verba omisit: » *lucri faciendi gratia,*» a quibus pendent sequentia: *vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisque.*

II.

Pulcherrima est conjectura summi Cujacii in Fr. 34. § 2 D. de auro & argento (XXXIV. 2) ubi pro: » ut haec scriptura habeat in se et *demonstrationem* » legati et *argumentum,*» legit: » et *diminutionem* legati et *augmentum.*»

III.

Acceptando nobilitatem peregrinam, jura politica Neerlandica non amittuntur.

IV.

Optime videtur libertatis definitio, quam tradit Montesquivius, *Esprit des Loix*. L. XI C. 3: »La liberté est le droit de faire tout ce que les lois permettent, et si un citoyen pourrait faire tout ce qu'elles défendent, il n'aurait plus de liberté, parce que les autres auraient tout de même ce pouvoir.»

V.

Quando adest bonorum omnium inter conjuges communio, maritus ex negotiis uxoris, quae publice mercaturam exercet, carcere civili includi nequit.

VI.

Mulier ejusve heredes communioni lucri damnique renuntiare nequeunt.

VII.

Invecta et illata conductoris ex Art. 1188 Cod. Civ. locatori per spatium quadraginta dierum obligata manent, licet bonae fidei emptori tradita sint, qui pretium ex Art. 637 Cod. Civ. exigere nequit.

VIII.

Non probo sententiam viri Cons. G. J. de Martini, in annotatione ad Art. 91 Cod. Civ., existimantis, mulierem, quae intra trecentessimum diem post prioris matrimonii dissolutionem partum ediderit, statim posse novas contrahere nuptias.

IX.

Jus mercatorium non est mera juris civilis ad res mercatorias applicatio, neque constat exceptionibus a jure communi, sed sibi propriam habet naturam, suisque nititur principiis.

X.

Actori in territorio patriae nostrae Europaeo domicilium habenti, jus non competit Neerlandum in coloniis nostris habitantem in jus vocare coram iudice loci, ubi ipse actor habitat.

XI.

Justitiae systema uti vocatur, cujus auctor et pa-

tronus merito dicitur Rossi, tamquam juris criminalis fundamentum, longe praeferenda videtur doctrinis illis humanitatis aut utilitatis, quorum auctores exstiterunt, cum Beccaria tum Benthamus.

XII.

Qui in cauponam gratis receptus, illic furtum committit, puniri nequit ex Art. 386. 4^o. Cod. Poen.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

